# INTRODUCTIO.

QUi his ipsis diebus *dissertationem irenicam de influxu dogmatis de prædestinationis & reprobationis decreto absoluto in praxin fidei & pietatis quanto & quali?* luci publicæ exposuimus existimavimusque, sequelas istas periculosas, quæ ex eodem decreto necessariò profluunt, Reformatis haud imputandas esse, ecce ab eodem amico, qui, argumentum hoc ut illustraremus, ad acidulas Thainacenses à nobis nuper expetierat, monemur, ut *de Christianâ & prudenti, hoc est, verè theologicâ doctrinarum erroneârum ex consequentiis æstimatione* libellum academicum ad majorem rei dilucidationem jam componamus. Quæ ipsa scribendi materia cùm & præstans utilisque & ad rem heic dijudicandam necessaria & rara sit, datâ quippe operâ vix à quoquam excussa, elegans itidem & digna, cui calamum hunc nostrum tantisper consecremus, cùm & judicio monitisque amici hujus nostri, Viri doctissi-

mi & perſpicaciſſimi magnum omninò pretium, uti par eſt, ponamus, ſine morâ manum inſtituto huic affundimus atque in rem præſentem deſcendimus. Faxit DEUS, veritatis & pacis Autor idem, ut beneficio luminis ſui prudentiæque illius, quæ deſurſum venit, adjuti rem acu tangamus!

# Quæritur.

NUM CONSEQUENTIÆ EX ERRORIBUS NECESSARIO MANANTES ERRANTIBUS RECTE IMPUTENTUR ATQUE NUM EX PERICULO, QUOD SECUM FERUNT, DE MOMENTO ET PONDERE ERRORUM JUDICANDUM SIT?

# EVOLUTIO.

QUi, quæcunque hanc in rem Theologi ſcripſere, ſollicitè inquiſiverit, is diverſas in vias ipſos ſecedere animadvertet. Sunt enim, qui conſequentias plurimùm urgendas eſſe exiſtiment, ſunt, qui ſecus. Et verò vel maximè argumentum hoc tactum fuit, ubi contra Reformatos pugna fuit inita. Agedum, allegemus primùm illos, qui rigidiora heic principia tenuere.

Et verò eminent heic inter rigidiores Theologi Tubingenſes, qui tùm maximè, ubi cum Palatinis rem habuere, conſequentias gnaviter urſerunt, nec ullâ Palatinorum proteſtatione ab hoc inſtituto ſe deduci paſſi fuere. Non opus eſt, ut verba ipſorum, quæ brevitatis ergò heic omittimus, referamus, cùm ad manus ſit, qui magnâ induſtriâ multâque curâ quæſtionem hanc evolverit, TOBIAS WAGNERUS, Acade-